



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

§. In matrimoniali.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

Corollarium: Solus Princeps restituere aliquem potest aduersus sententiam sui delegati, vti Abb. hic monet, n. 7. Nam nec ipsemet delegatus in integrum restituere potest, nisi talis facultas ei specialiter commissa sit: Neque Ordinarius, v. g. Episcopus, quia delegatus in ea causa maior est Ordinario, c. pastoralis, l. 1. §. præterea, de offic. delegati. Inferior autem Iudex non restituit contra sententiam superioris, l. minor, ff. hoc tit.

6 Tertia. Qui simplicem ordinariam iurisdictionem habent, de causa restitutionis in integrum cognoscere non possunt. Ita habetur expressè in cit. l. vlt. & per sensum contrarium sumitur ex hoc c. Ratio est: Quia simplicem iurisdictionem habens, liberum officium non exercet, sed mercenarium, seu actioni merè civili deseruiens, vti dixi in cit. c. 5. n. 7. At verò restitutio in integrum est actus imperij mixti, ex nobili Iudicis officio proueniens, vt ibidem dictum est. Exemplum iurisdictionis simplicis, seu sine administratione, habemus in Authent. Habita, C. Ne filius pro patre; vbi Fridericus Imperator licentiam dat Scholaribus, vt lites suas, si velint, proponant eorum Magistris seu Professoribus suis, quibus ea lege iurisdictionem (videl. simplicem, & sine administratione) tribuit.

5 Quarta. Iudex delegatus in integrum restituere non potest principaliter, nisi id ei specialiter commissum sit ab eo, qui potestatem habet; videl. à magistratu habente meram, aut mixtum imperium; non item à Iudice habete iurisdictionem simplicem. Cum enim causam restitutionis tractare non possit, consequenter nec alteri delegare; quia nemo dat, quod non habet.

6 Quinta. Quicumque iurisdictionem aliquam, etiam delegatam tantum, habent, causam cognitam in integrum restituere possunt incidenter: v. g. si Minor vel Ecclesia in peremptorio termino læsa sit, Iudex delegatus eam restituere potest. Ratio est, quam Baldus dat in cit. l. vlt. Quia delegatus ad causam principalem, videtur etiam delegatus ad quamlibet eius incidentem: quare ad inci-

dentia, seu accessoria (nisi sint maioris præiudicij) non est necessaria noua commissio. Quare in l. quoties, 3. C. de Iudicijs, generatim docetur; quod iudex causæ principalis cognoscere etiam possit de quæstione incidente; tamen non possit, si principaliter moueretur. Et simili ratione supra dictum, ac singulariter notat Gl. in c. suscitata. ver. postulauit, hoc tit. Quod procurator constitutus ad causam, consequenter restitutionem in integrum petere possit super articulo incidente.

Sexta. Arbitrator non potest in integrum restituere. Quia non imperium, imò nec simplicem iurisdictionem, sed meram cognitionem habet, partium consensu impertitam, iuxta l. 1. C. de receptis arbitratoribus, l. ait Prætor, 5. de iudicijs.

Si tamen in causam arbitratoris commissam incidat quæstio restitutionis in integrum, possunt ratione compromissi eam decidere, non vt ipsi restitutionem faciant, (quod fieri non posse, satis indicatur in cit. l. vlt.) sed vt determinent, num restitutio à Iudice petenda sit, necne. Vide Gl. hic ver. incidenter, Barrol, in cit. l. vlt. n. 5. Gl. in c. cum dilectus, 6. ver. nisi de his, de arbitratoribus.

### §. In matrimoniali.

IN causa matrimoniali, aut in qua de libertate agitur, vel criminali, arbitrator assumi non potest; cum tales causæ iudices maiores requirant. Consentit l. non distinguemus, 2. ff. de recept. arbitratoribus.

NOTANDVM Vn. Causæ, quæ à maioribus iudicibus expediri debent, quia valde arduæ, & maximi præiudicij sunt; vt matrimoniales, & quibus agitur de hominis libertate; item criminales causæ, si criminaliter intententur; & quæcunque Iudicis officio nobili exercentur, eæ arbitratoribus committi non possunt. Vide Abb.

hic n. 4.

\* \* \*

M m m m 2 CA.